

APÉNDICE NÚM. 12.

Concilio IV de Toledo.

Este Concilio, el mas interesante de la Iglesia goda, es la base de la disciplina de aquella época, por lo cual no vacilamos en insertarlo íntegro entre los documentos justificativos.

Gesta Synodalia in Toletana urbe in Concilio LXII¹ Episcoporum Hispaniae et Galliae provinciarum edita, anno III, regnante gloriosissimo Domino nostro, Principe Sisenando, die nona Decembris, Aera DCLXXI.

PRAEFATIO.

Dum studio amoris Christi ac diligentia religiosissimi Sisenandi Regis, Hispaniae atque Galliae Sacerdotes apud Toletanam urbem in nomine Domini convenissemus, ut ejus imperiis atque jussis communis a nobis ageretur de quibusdam Ecclesiae disciplinis tractatus; primum gratias salutari nostro, Deo Omnipotenti egimus; post haec antefato ministro ejus excellentissimo et gloriosissimo Regi, cujus tanta erga Deum devotio stat, ut non solum in rebus humanis, verum etiam in causis divinis sollicitus maneat. Hic quippe dum in Basilica beatissimae et sanctae Confessoris Leocadiae omnium nostrorum pariter jam coetus adesset, tali pro merito fidei suae, cum magnificentissimis viris ingressus, primum coram Sacerdotibus Dei humo prostratus, cum lacrymis et gemitibus pro se interveniendum Domino postulavit: deinde religiosa prosecutione Synodum exhortatus est, patrum decretorum memores, ad conservanda in nobis jura ecclesiastica studium praerberemus, et illa corrigere, quae dum per negligentiam in usum venerunt, contra ecclesiasticos mores licentiam sibi de usurpatione fecerunt. Talibus igitur ejus monitis congaudentes, necessa-

¹ Aun cuando en las suscripciones no aparecen sino sesenta y dos firmas de Obispos y siete de Vicarios, sospecha Florez (tomo VI de la *España sagrada*, trat. 6, cap. vi), que asistieron sesenta y seis Obispos.

rium exstitit, juxta ejus nostrorumque votum tractare quae competunt, sive in sacramentis divinis, quae diverso atque illicito modo in Hispaniarum Ecclesiis celebrantur, seu quae in moribus prave usurpata noscuntur. Et quoniam Generale Concilium agimus; oportet primum nostrae vocis sermonem de Deo esse; ut post professionem Fidei, sequentia operis nostri vota, quasi super fundamentum firmissimum, disponantur.

I. — *De evidenti catholicae fidei veritate.*

Secundum divinas Scripturas et doctrinam quam à Sanctis Patribus accepimus, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum unius deitatis atque substantiae confitemur, in personarum diversitate Trinitatem credentes, in divinitate unitatem praedicantes, nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum vel genitum dicimus; Filium à Patre, non factum, sed genitum asserimus; Spiritum vero Sanctum nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre et Filio profitemur. Ipsum autem Dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium, et creatorem omnium, ex substantia Patris ante saecula genitum, descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi à Patre, qui numquam desiit esse cum Patre. Incarnatus est enim ex Spiritu Sancto et sancta gloriosa Dei genitrice Virgine Maria, et natus ex ipsa, solus idem Dominus Jesus Christus; unus de Sancta Trinitate, anima et corpore perfectum, sine peccato, suscipiens hominem; manens quod erat, assumens quod non erat; aequalis Patri secundum Divinitatem; minor Patre secundum Humanitatem; habens in una persona duarum naturarum proprietatem: naturae enim in illo duae, Deus et homo; non autem duo Filii et Dei duo, sed idem una persona in utraque natura; perferens passionem et mortem pro nostra salute: non in virtute Divinitatis, sed infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut Sanctos qui ibidem tenebantur, erueret: devictoque mortis imperio resurrexit: assumptus deinde in Coelum, venturus est ad iudicium vivorum, et mortuorum: cujus nos morte et sanguine mundati, remissionem peccatorum consecuti sumus, resuscitandi ab eo in die novissima, in ea qua nunc vivimus carne; et in ea qua resurrexit idem Dominus forma: percepturi ab ipso, alii pro justitiae meritis vitam aeternam,

alii pro peccatis supplicii aeterni sententiam. Haec est Catholicae Ecclesiae fides, hanc confessionem conservamus atque tenemus: quam quisquis firmissime custodierit, perpetuam salutem habebit.

II. — *De uno ordine in ministeriis, vel officiis in cunctis Ecclesiis celebrando.*

Post rectae fidei confessionem, quae in sancta Dei Ecclesia praedicatur, placuit, ut omnes Sacerdotes, qui catholicae fidei unitate complectimur, nihil ultra diversum, aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis agamus; ne quaelibet nostra diversitas apud ignotos seu carnales Schismatis errorem videatur ostendere, et multis existat in scandalum varietas Ecclesiarum. Unus igitur ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliam (*Gotthicam* semper intellige) conservetur, unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in Vespertinis Matutinisque officiis: nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur et regno: hoc enim et antiqui Canones decreverunt, ut unaquaeque provincia et psallendi et ministrandi parem consuetudinem contineat.

III. — *De qualitate Conciliorum, vel quare, aut quando fiant.*

Nulla pene res disciplinae mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis universaliter definitum est, ut quia juxta antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltem vel semel à nobis celebretur. Ita tamen ut si causa fidei est, aut quaelibet alia Ecclesiae communis, generalis totius Hispaniae et Galliae Synodus convocetur: si vero nec de fide, nec de communi Ecclesiae utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque provinciae, ubi Metropolitanus elegerit peragendum. Omnes autem qui causas adversus Episcopos aut Judices aut Potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad eundem (*Alias ad idem Gothicismum*) Concilium concurrunt, et quaecumque examine Synodali à quibuslibet prave usurpata inveniuntur, regii exsecutoris instantia justissime his, quibus jura sunt, reformentur. Ita ut pro compellen-

dis iudicibus vel saecularibus viris ad Synodum, Metropolitanus studio, idem exsecutor à Principe postuletur. Quintodecimo autem Kalendarum Juniarum congreganda est in unaquaque provincia Synodus, propter vernale tempus, quando herbis terra vestitur, et pabula germinum inveniuntur.

IV. — *Formula, qualiter Concilium fiat.*

Hora itaque prima diei, ante solis ortum ejiciantur omnes ab Ecclesia, obseratisque foribus, cuncti ad unam januam per quam Sacerdotes ingredi oportet, Ostiarii stent: et convenientes omnes Episcopi pariter introeant, et secundum ordinationis suae tempora resideant. Post ingressum omnium Episcoporum atque concessum, vocentur Presbyteri, quos causa probaverit introire. Nullus se inter eos ingerat Diaconorum. Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse: et corona facta de sedibus Episcoporum, Presbyteri à tergo eorum resideant. Diacones in conspectu Episcoporum stent. Deinde ingrediantur laici, qui electione Concilii interesse meruerint. Ingreddiantur quoque et notarii, quos ad recitandum, vel excipiendum ordo requirit, et reserentur januae. Sedentesque (*Gotthicismus*) in diuturno silentio Sacerdotes, et cor totum ad Deum habentes, dicat Archidiaconus: *Orate*. Statimque omnes in terra prostrabuntur: et orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus, unus ex Episcopis senioribus surgens orationem palam fundat ad Dominum cunctis adhuc in terra jacentibus. Finita autem oratione, et responso ab omnibus *Amen*, rursus dicat Archidiaconus: *Erigite vos*. Et confestim omnes surgant, et cum omni timore Dei et disciplina, tam Episcopi quam Presbyteri sedeant. Sicque omnibus in suis locis in silentio considentibus, Diaconus alba indutus, Codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronuntiet. Finitisque titulis Metropolitanus Episcopus Concilium alloquatur dicens: *Ecce, Sanctissimi Sacerdotes, recitatae sunt ex Canonibus Sanctorum Patrum sententiae de Concilio celebrando. Si qua igitur quempiam vestrum actio commovet, coram suis fratribus proponat. Tunc si aliquis quamcumque querelam, quae contra Canonem agit, in audientia Sacerdotali protulerit, non prius ad aliud transeat capitulum, nisi primum quae proposita est actio, terminetur. Nam et si*

Præbyter aliquis aut Diaconus, Clericus sive laicus, de his qui foris steterint, Concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Ecclesiae Metropolitanae Archidiacono causam suam intimet, et ille Concilio denuntiet. Tunc illi et introeundi, et proponendi licentia concedatur. Nullus autem Episcoporum à coetu communi secedat, ante quam hora generalis secessionis adveniat. Concilium quoque nullus solvere audeat, nisi fuerint cuncta determinata: ita ut quaecumque deliberatione communi finiuntur, Episcoporum singulorum manibus subscribantur. Tunc enim Deus suorum Sacerdotum Concilio interesse credendus est, si tumultu omni abjecto, solícite atque tranquille ecclesiastica negotia terminentur.

V. — *De annuntiatione Paschae ante Epiphaniam inter Episcopos exquirenda.*

Solet in Hispaniis de solemnitate Paschali varietas existere praedicationis: diversa enim observantia laterculorum (Isid. *de Latercul.* l. 6 *Etymol.*, c. 17) Paschalis festivitatis, interdum errorem parturit. Proinde placuit, ut ante tres menses Epiphaniarum Metropolitanus Sacerdos literis invicem se inquirant: ut communi sententia edocti, diem resurrectionis Christi et Comprovincialibus suis insinuent, et uno tempore celebrandum annuntient.

VI. — *De trina, et simpla in Baptismo mersione.*

De baptismi autem Sacramento, propter quod in Hispaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis Schisma esse conspicitur, et unitas fidei scindi videtur (nam dum Patres diverso et quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt). Proinde quid à nobis in hac Sacramenti diversitate finiendum sit, Apostolicae Sedis informemur praeceptis; non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatae igitur memoriae Gregorius R. E. Pontifex, qui non solum partes Italiae, sed et longe existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit: Efflagitante SS. Leandro Episcopo, de hac Hispaniae diversitate, quid potius esset sequendum, inter caetera rescribens ei, sic ait: *Quapropter, quia de utroque Sacramento.....* (De trina mersione, l. I Reg. ep. 41 de

Consec. dist. 4. C. de Trina mersione integram Epistolam dedimus, p. 298) quod fit in sancto baptismo à tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem; ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, haeticorum probare assertionem, dum sequuntur et morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem et resurrectionem Christi significari: nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est, et rursus ab aquis emersio, resurrectio est. (*De consec. deest 4*). Item videat in eo unitatem divinitatis, et Trinitatem personarum ostendi; unitatem dum semel immergimus; Trinitatem dum nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizamus. Panditur hujus singularis baptismatis mysterium, etiam sacrarum Scripturarum exemplis; Paulo Apostolo attestante (*I Cor. x*): *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Mose baptizati sunt in nube et mari.* Mare quippe rubrum significat Baptismum Christi sanguine consecratum, per quem populus Dei semel transiit; ubi tamen tota erat Trinitas, praecedente populum columna ignis et nubis. In igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus Sanctus. Jordanis quoque fluente, cum arca populus Dei semel transiit: per quod significatur simpla mersio baptismatis, cujus sacramento Ecclesia abluitur, et de saeculi hujus laboribus per baptismum, quasi per Jordanem, ad terram coelestis repromissionis ingreditur.

VII. — *De celebrando officio in sexta feria Paschae.*

Comperimus, quod per nonnullas Ecclesias in die sexta feriae passionis Domini, clausis Basilicarum foribus, nec celebratur officium, nec passio Domini populis praedicatur; dum idem Salvator noster Apostolis suis praeceperit dicens (*Marc. xvi*): *Passionem et mortem, et resurrectionem meam omnibus praedicate.* Ideo oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis nuntiandum voluit, praedicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare: ut poenitentiae compunctione mundati, venerabilem diem Dominicae resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere me-

reamur; corporisque ejus et sanguinis sacramentum mundi à peccatis sumamus.

VIII. — *De non solvendo jejunio in sexta feria Paschae, exceptis languidis, senibus, et parvulis.*

Quidam in die ejusdem Dominicae passionis ad horam (*Ab hora nona duo Miss.*) nonam jejunium solvunt, convivii abutuntur, et dum sol ipse eodem die tenebris palliatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata moestitiam totius mundi ostenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epulisque inserviunt. Et quia totum eundem diem universalis Ecclesia propter passionem Domini in moerore et abstinentia peragit; quicumque in eo jejunium, praeter parvulos, senes, et languidos, ante peractas indulgentiae preces resolverit, à Paschali gaudio repellatur; nec in eo sacramentum corporis et sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ipsius per abstinentiam non honorat.

IX. — *De benedicendo cereo, et lucerna in vigiliis Paschae.*

Lucerna et Cereus in praevigiliis Paschae apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, et cur à nobis benedicantur inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter haec benedicimus, ut sacrae resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus votivae noctis advenit, in benedictione sanctificati luminis suscipiamus. Et quia haec observatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniae in Ecclesiis commendatur, dignum est, ut propter unitatem pacis, in Gallicanis Ecclesiis conservetur. Nulli autem impune erit qui haec statuta contempserit, sed Patrum regulis subjacebit.

X. — *De Dominica oratione quotidie patenter pronuntianda.*

Nonnulli Sacerdotes per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Salvator noster docuit et praecepit, non quotidie, sed tantum die Dominica dicunt. Et quia ut sine intermissione oremus, Apostolus docuit, qualiter autem oremus Christus praecepit,

dicens (*I Thess. v; Matth. vi*): *Cum oratis, dicite: Pater noster qui es in coelis*; quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici jubetur? nam in tantum quotidie haec oratio dicenda est, quantum et ipso titulo utitur, dum vocatur oratio quotidiana; sic enim Sancti Patres nuncupaverunt. Quod etiam apud Doctores, quorum doctrina illustris est, invenitur. Sanctus quippe Cyprianus dicit (*In serm. de Or. Dominica*): «Itaque in oratione Dominica panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus: ut qui in Christo manemus et vivimus, à sanctificatione et corpore ejus non recedamus.» Sanctus Hilarius dicit: «Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim tam vult Deus, quam ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitae, et panis è coelo, et quia quotidiana oratio est, quotidie quoque ut delur, oratur.» Sanctus Augustinus dicit (*In Enchirid. apud Laurent.*): «De quotidianis autem brevibus peccatis, sine quibus vita haec non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit: eorum est enim dicere: Pater noster qui es in coelis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua et spiritu. Delet igitur haec quotidiana oratio minima quotidiana peccata; delet et illa, à quibus vita fidelium etiam scelerate gesta poenitendo in melius redacta discedit.» Ergo sicut Christus praecepit, sicut Apostolus admonuit, et quemadmodum Doctores Ecclesiastici instituerunt, quia quotidie, vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus, quotidie hanc orationem infundere in conspectu Dei debemus. Quisquis ergo Sacerdotum vel subjacentium Clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato officio praeterierit, propter superbiam judicatus, ordinis sui honore multetur.

XI. — *De non decantando in Quadragesima Alleluia.*

Item cognovimus quosdam Hispaniae Sacerdotes, qui in Quadragesimae diebus Alleluia decantant, praeter in ultima hebdomada Paschae, quod deinceps interdiximus fieri: statuentes, ut in omnibus praedictis Quadragesimae diebus, quia tempus est, non gaudii, sed moeroris, Alleluia non decantetur. Tunc enim opus est fletibus ac jejunii insistere, corpus cilicio et cinere induere, animum moeroribus dejicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus resurrectionis Christi, quando oportet Alleluia in laetitia canere, et

moerorem in gaudium commutare. Hoc enim Ecclesiae universalis consensus in cunctis terrarum partibus roboravit. Quod et à nobis omnibus ut conservetur per Hispanias Galliasque provincias, oportebit. In temporibus quoque reliquis, id est, Kalendis Januariis, quae propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluia non decantetur. In quibus etiam praefer piscem et olus, sicut in aliis quadraginta diebus à caeteris carnibus abstinetur, et à quibusdam nec vinum bibitur. Si quis igitur Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum fuerit repertus, qui arbitrium suum huic constitutioni existimet praeferendum, ordinis sui officio carere cogatur, et à communione ejusdem Paschae privetur.

XII. — *Quod Laudes non post Apostolum, sed post Evangelium sint dicendae.*

In quibusdam quoque Hispaniarum Ecclesiis Laudes post Apostolum decantantur, priusquam Evangelium praedicetur, dum Canones praecipunt, post Apostolum non Laudes, sed Evangelium annuntiari. Praesumptio est enim, ut antea ponantur ea quae sequi debent. Nam Laudes ideo Evangelium sequuntur, propter gloriam Christi, quae per idem Evangelium praedicatur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur: excommunicationis poenam suscepturi, qui hunc ordinem perturbaverint.

XIII. — *De non renuendo pronuntiare hymnos.*

De hymnis (*De consec. d. 1, c. de Hymnis*) etiam canendis, et Salvatoris et Apostolorum habemus exemplum: nam et ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthaeo Evangelista testante: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* (Matth. xxvi). Et Paulus Apostolus ad Ephes. scripsit dicens: *Implemini spiritu, loquentes vos in Psalmis, et hymnis et canticis spiritualibus.* (Ad Ephes. v). Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione non existunt; respuant ergo et il-

lum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium Psalmorum dicimus: *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto in saecula saeculorum, Amen.* Nam et ille hymnus, quem nato in carne Christo Angeli cecinerunt (*Luc. ii*): *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Reliqua quae ibi sequuntur Ecclesiastici Doctores composuerunt. Ergo nec idem in Ecclesiis canendus est, quia in Scripturarum sanctarum non invenitur. Componuntur ergo hymni, sicut componuntur Missae, sive preces vel orationes, sive commendationes, seu manus impositiones: ex quibus si nulla dicantur in Ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Admonet haec fieri, atque hortatur Timotheum Apostolus dicens (*I ad Tim. ii*): *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, et pro omnibus qui in sublimitate sunt.* Sicut igitur orationes, ita hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrum ulterius improbet, sed pari modo Gallia Hispaniaque celebret, et communicatione plectendi, qui hymnos rejicere fuerint ausi.

XIV. — *De hymno trium puerorum in cunctis Missarum solemnitatibus decantando.*

Hymnum quoque trium puerorum, in quo universa coeli terraeque creatura Dominum collaudat, et quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam Sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, et in solemnitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde hoc Sanctum Concilium instituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniae, vel Galliae in omnium Missarum solemnitate idem in pulpito decantetur: communionem amissuri qui et antiquam hujus hymni consuetudinem, nostramque diffinitionem excesserint.

XV. — *Quod in fine psalmodum, Gloria, et honor Deo, sit dicendum.*

In fine Psalmorum non, sicut à quibusdam hucusque, *Gloria Patri* (Psal. xxviii); sed, *gloria et honor Patri* dicatur; David Propheta dicente: *Afferte Domino gloriam et honorem.* Et Joannes Evangelista in Apocalypsi: *Audivi vocem coelestis exercitus dicentem: honor et gloria Deo nostro sedenti in throno.* (Apoc. iii). Ac per hoc haec duo sic